

L. D. B. V.

Templi Cœnobialis

Nomina

Discursu

Continuandæ Curiensis Historiæ

præliminari,

historicè exhibet: eoque ipso ad audiendas die VIII.

Januarii A. C. 1692.

in Natalem CHRISTI

Orationes

Curianæ Urbis Proceres

& eruditos quoscunque

decenter invitat

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS Weiß/
Gymnasii Rector,

Literis Minzelianis.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!



Um ii, qui scribere res gestas, seculorum-
 que memorias condere satagunt, arduum & peri-
 culosæ opus alicui, Sallustio teste, moliantur; ego
 quoque, qui in illustranda Cæsarum historia non-
 nihil impendi laboris, vel meo exemplo didicisse
 debebam, quam parùm præsidii adversus Aristarchos ævi hujus &
 malevolos in nuda alios juvandi voluntate situm sit; atque pro-
 inde **CURIENSIS HISTORIÆ CONTINUATIO-**
NEM suo vel Autori, vel aliis simili antiquitatum peritia & Tul-
 liano eloquio instructis penitus permittere. Verùm vicit cum
 his & id genus aliis difficultatibus colluctantem animum singula-
 ris in alteram meam patriam amor, cujus pro virili agere commo-
 da mihi non miuùs ac Præ-Clarissimo Domino Antecessori meo
 nunc Plurimum Reverendo Domino M. JOH. CHRISTOPHORO
 LAYRIZIO, vigilantissimo Pastori in Selb, curæ utique ac cordi
 est. Accedit mandatum eorum, quorum authoritas & apud me
 plurimum valet, & valere nullo non tempore omninò debet: Qui
 sicut ægerrimè tulerunt hæctenus pulcherrimum inceptum suo de-
 stitui cultore; Ita cohortati me sæpiusculè sunt, ut tam utili ma-
 num ad moverem operi, nec committerem, ut aliquid, quod ad of-
 ficii partes quocunqve modo pertinere intelligerem, prætermitta-
 tur, sed communicatis cum Domino Autote consiliis, telam in-
 choatam pertexerem, atque adeò **MEMORABILIA CURIENSI-**
UM publicæ luci exponere imposterùm sedulò pergerem. Id
 quod, etsi infinitus propemodum labor sit, tot Chronica evolvere,
 & quæ sparsim hinc inde traduntur, in certum ordinem digesta de-
 centi brevitare explicare, facere minimè pigrabori dummodo
 Benevolus Lector eam afferat ad legenda mea indulgentiam, ne
 post **LAYRIZIANAS** dapes & exquisitissimas cupedias, fru-
 galiorem mensam & mea reconditoris sapientiæ condimento
 non

non condita fercula nauseat fortè aut planè aversetur. Si verò quis aliquid habeat, quo me adjutum iri intelligat, ne id invidet, quæso patriæ bono, certus, se non promptiorem ad præstandam, quam me futurum ad laudandam ejusmodi operam & pergratum mihi adjumentum. Ceterum non aliam, fateor, in hoc negotio, præter obsequii venabor gloriam, reliqua omnia soli Deo accepta relaturus, cui eventum hujus etiam molimur, omnisque in eò successus filiali devotione humillimè commendo ac in præsentem penitus committo. Ita in *NOMINE JESU HISTORIAM TEMPLI MONASTERIALIS*, in quo describendo initium mihi faciendum, exordior & nunc quidem de *NOMINIBUS ILLIUS*, utpote inter cætera & antiquitatum multitudine & spatii magnitudine haut ultimi, velut in præloquio agam. Salutatur id vulgo *sancti Francisci sanum*; sed si antiquiora historiarum monumenta evolvamur, appellatum olim videbimus in literis indulgentialibus *ECCLESIAM SANCTÆ CRUCIS*. Ita enim antiquissimæ ferè & brevissimæ earum habent: *Reinboto, DEI gratia Eichstetensis Ecclesie Episcopus; Universis Christi fidelibus Salutem in Domino. Sollicitudinem pastoralis officii tunc diligenter exequi opinamur, cum ad pietatis opera gregem Dominicum indulgentiis & remissionibus invitamus. Cupientes igitur ECCLESIAM SANCTÆ CRUCIS Fratrum minorum in Curia spiritualibus beneficiis provehere: omnibus verè contritis, in festis scilicet duplicibus & semiduplicibus, & per octavas eorundem; & omnibus eisdem Fratribus manum adjutricem porrigentibus, 40. dies, salvo consensu Diocesani, misericorditer relaxamus. Datum in Egra, in Vigilia sancti Bartholomæi Apostoli.* Ex quibus literis, cum annus non sit adscriptus, etsi quando data fuerint, adeò certò non constat; verò tamen persimile est circiter 1292. annum esse perscriptas; Reinboto enim ad Episcopatum Eichstetensem effectus fuit 1279. è vita discessit idem 1297. ceu id in catalogo Episcop. Eichstet. memoriæ proditum est. Quantam verò efficaciam, quantamque virtutem S. Crucis tribuerint Pontifici paucis explicari non potest. Consulat modo aliquis Sozo-

menum, Theodoretum & Nicephorum, & miracula circa illius in-
 ventio nem, circa erectionem atqve cultum ejusdem permulta, sine
 stupore aut risu vix leget. Ut nempe inventa moribundam fœ-
 minam sanaverit; ut per portam Hierosolymitanam à regio
 cultu ornato Heraclio inferri in urbem noluerit; ut Mariam
 Ægyptiacam ante intercessionem Mariæ Virginis ad adoratio-
 nem non admiserit; ut in ἀρτοπαλίω Constantinopolitano mul-
 tos sanarit ægrotantes & suffitum Angelus quotannis ibi fecerit,
 hymnumqve trisagion cecinerit, & quæ sunt hujus farinae somnia
 alia. Quæ res conjecturam facit nobis, monachos initiò crucem
 aliquam erexisse, deinde pro virili prædicasse, tanquam peccato-
 rum remedium, victricem mortis, spem fidelium, lucem orbis &c.
 qualia encomia magno numero Ephrem. & alii subministrant ap.
 Cent. Magdeb. Cent. IV. c. 4. p. 302. item Ambrosius, aut quisquis
 est autor orationis fanebris de Theodosii obitu, Verum vehe-
 menter contumeliosa hæc sunt in meritum Salvatoris; Sicut i-
 psæ tot templorum dedicationes, non in Christi, sed Mariæ hono-
 rem hinc inde factæ, quam scilicet Mariolatæ illi ad opitulandum
 proniorem credunt ipso Servatore nostro, qui est substantialis Dei
 amor. Huic nostrum quoque Templum fuisse dicatum ambige-
 re iterum non sinunt indulgentiales Episcopi illius Herbipolensis,
 qui se Archiepiscopum Ninivensem jactat, quæ totum Cœnobi-
 um pariter ac templum in honorem Beatæ Virginis Mariæ san-
 ctæqve ac salutiferæ crucis ædificatum aperte pronunciant,
 quas ob antiquitatem meritò huc integras ponimus: Jo-
 hannes DE I gratia Ninivensis Archi Episcopus, universis Christi fideli-
 bus salutem in Domino sempiternam. Cum dilecti nobis fratres minores, in
 Curia commorantes, domum novellam ædificare inceperint, in honorem GLO-
 RIOSÆ VIRGINIS MARIÆ, & SANCTÆ AC SALUTIFERÆ
 CRUCIS: nec prædicti structuram operis sine fidelium adiutorio consummari
 valeans: nos intima cordis devotione cupientes cultum & honorem prædictæ
 gloriosæ Virginis & sanctæ Crucis dilatare in terris; singulis & universis, qui
 ad

ad prædicti structuram operis, nec non ad eorundem fratrum necessitatem, manum porrexerint adiutricem; quique ad eorum Ecclesiam omnibus & singulis diebus causa devotionis accesserint; item, qui ibidem singulis diebus missam & missas devotè audierint; mitis & gloriosæ Virginis, ac patronorum nostrorum Beati Johannis Baptista & sancti Bartholomæi, atque beatorum Petri & Pauli autoritate confisi, verè pœnitentibus & confessis XL. dies peccatorum criminalium, & unum annum venialium, dummodò consensus Diœcesani accesserit, misericorditer relaxamus. Datum Erbiboli, anno Domini M.CC. LXXXIII. pridie nonas. (i.e. 4to) Septembris. Quo præcisè anno consecratio illa facta sit & templi nuncupatio? temporum antiquitas subduxit nobis, factum autem primùm die sacro-sanctæ Trinitatis, ex parva Scheda, quæ in sacrario templi hujus hodie num conspicitur, unicè discimus, quam quia plurimum rerum memoriam exhibet, & futurò nobis inservire aliis in rebus describendis poterit, nihil mutatum cum Benev. Lect perlibenter hic communicamus: Anno 1376. Proxima die Dominica ante Festum Nativitatis beatæ Virginis Mariæ, reconciliatum est Cæmiterium nostrum, & Ecclesia consecrata in honore beatæ Virginis Mariæ & beatæ Crucis, & tria altaria. Primum, quod est juxta pilare versus Cæmiterium, in honore omnium Apostolorum. Secundum quod est juxta pilare versus ambitum in honore sanctæ Mariæ Magdalene, sanctæ Marthæ, sancti Benedicti & sancti Antonii. Tertium quod est in abside versus ambitum, in honore sancti Nicolai, S. Oswaldi, S. Jodoci, sanctæ Catharinæ, sanctæ Barbaræ & S. Clare. Item notandum, quod eodem anno Domini, in festo Nativitatis Mariæ: consecratum est Altare, quod est in abside versus Cæmiterium, in honore ipsius virginis Mariæ & beatæ Elisabeth & omnium Angelorum: & tali die agatur dedicatio illius altaris, & denominabitur dedicatio beatæ virginis Mariæ. Sed notandum, quod apud fratres Minores, in Curia Regniæ perpetuè aguntur duæ solennes dedicationes omni anno. Una, die sanctæ Trinitatis (quò prima dedicatio hujus Ecclesiæ facta est, & alia, in proxima Dominica ante Nativitatem virginis Mariæ. 1376. scriptum ex antiquo libro mortuorū nostri Cæmiterii. Duæ igitur sunt, à quibus antiquissimum suum tuetur nomen

Monasteriale templum, Dei para nempe virgo, & sancta & salutifera
 ceu audit, Crux. Plures autem successu temporis postea invenit
 Patronos ac Matronas, quod & allegata modo verba & parietes fa-
 ni undiquaque Sanctorum imaginibus variegati uberrime lo-
 quuntur. An verò Francisco utpote Minoritarum præcipuo
 Antistiti ac protectori dicata Domus hæc sit? certò affirmare
 non ausim, etsi de reliquo honore illi habito prorsus nihil dubi-
 tem, quod & denuò confirmant literæ indulgentiales 1297. à Ger-
 hardo Archiepiscopo Moguntinensi & Sacri imperii Archicancellario Fran-
 ciscanis, cum apud Curienses fortè transiens diverteret concessæ,
 quæis 40. dies de injunctis sibi pœnitentiis annis singulis concedit iis, qui B.
 Virg. Mariæ, ac sanctorum, Francisci, Antonii & S. Claræ, nec non per octavos
 eorundem devotionis causa venerabiliter Ecclesiam hanc visitaverint. Igi-
 tur à ministris potius, quam à Patronis templum illud suum requi-
 siverit nomen, ut Franciscanum dicatur. Plura addere vetat in
 præsentis pagellæ brevitatis, quam Benevolus Lector non contue-
 bitur tanquam, futuræ specimen industriæ, circa negotium hocce
 exhibendæ: Cuncta enim sic temporis penuria & promissorum
 memoria expresit nobis; sed ut sedulum ambiendi favoris pro-
 dromum & Oratorem: ejus si felix fuerit exorator, benignius-
 que referre judicium, optatam invenerit horam, ingens animo ad-
 detur stimulus, in cæteris eò alacrius pergendi. Interea cum mos
 jubeat ac consuetudo prisca, sub novi anni auspiciis, universæ
 Patriæ conceptis verbis ominari benè, brevius simul ac melius de-
 fungi hoc pietatis officio non potero, quã veteri illa ac solenni Ro-
 manorum formula: Feliciter, Feliciter! Feliciter, inquam, Se-
 renissimo Principi ac Domino Nostro, **DOMINO CHRIS-
 TIANO ERNESTO**, Marggravo Brandenburg.
 &c. Patriæ Patri Clementissimo, Invictissimæ Rom. Cæsareæ Ma-
 jestatis apud Copias Rhen: Mareschallo Campestri Fortissimo!
 Feliciter toti Serenissimæ Domui Brandenburgicæ! Feliciter Illu-
 strissimo illius Ministrissimo & ceteris Consiliariis ac Ministris

utriusque ordinis summa mihi devotione colendis ! Feliciter
 universis subditis ! Faxit autor temporum, Deus, ut sicut haec-
 nus velut bonitate optimus & potentia maximus, in hunc princi-
 patum maxima beneficia congescit, ipsum etiam sub **TANTO DO-**
MINO inter dirissimas belli tempestates & ex transverso saepe in-
 currentes calamitates, clementer à vastatione vindicavit; ut post
 parta maxima Principi optimo & bene merentissimo decora, sal-
 vus ille patriæ ac incolumis optatò reddatur, atque ex ejus quoque
 victoriosa manu æterniflora pacis oliva propediem efflorescat,
 lætissimaque tandem catastrophæ tristissimo belli tumultui quam
 felicissimè addatur ! Ceterum Actus mihi in præsentem intiman-
 dus est, Genethlio-Gratulatio. Carminibus enim aliquot
 Servatoris decantabunt gaudia tres indolis bonæ, nec spei nullius
 juvenes, eorumque primus

JOHANNES VALENTINUS THECHIUS, Cur. Va-
 risc, Patriarcham elegia quasi, pro maturando
 Mesfiæ adventu, suspiria mittentem simulabit;

alter

NICOLAUS FISCHER, Schwarzenb. ad Saalam Ev-
 angelistarum more, Nativitatis historiam, sed
 Heroico carmine delineabit;

Tertius denique

JOHANNES ERHARDUS BAUMGÄRTLIUS Gat-
 tendorf, Pastoris personam induens pæana ca-
 net & anacreonte finiet.


Hos igitur prædictos juvenes, ut constituto die, ab ipsis Sacris ma-
 tutinis, brevissimis dicturos gratiosè & benignè audituri conveni-
 ant **SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI NU-**
TRICIIQUE CLEMENTISSIMI Consiliorum Præses Summus, Consili-
 arius


130

arius Intimus Eminentissimus, Exarchus Provincialis Curie Gravissimus,
Illustrissimus Comes ac Dominus, DN. JOHANNES ALBERTUS, Co-
mes de RONOV & BIBERSTEIN, Dominus in Oppurg, Knau, Krobitz
& Grünau, Dominus noster multum Graciosissimus; Nec non VIII Maxime
Reverendus ac Prae Nobilissimus Dominus JOSEPHUS FRIEDERICUS
v. ALDECK, in Culmiz & Dobra Stücken &c. Pastor Primarius Curia-
nus & Vicinarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii item Inspector Di-
gnissimus, cum Reverendo plurimum Ministerio; Nobilissimi, Excellentissi-
miq; Physicus Ordinarius Adj. & Medici, Consultus. Domini Officiales; Urbis
Senatus Prudentissimus Spectatissimusque, Gymnasii nostri Patronus & Scho-
larcho; nec non Honoratissimi Domini Collegae, Prae eximii ac Clarissimi Do-
mini Studiosi, Omnesque Literarum Patroni & Fautores, ea, quae par est, de-
votione, obnixè rogo, qui & mihi Vota ferenti eandem exhibi-
tam gratiam ac benevolentiam non inter minimas felicitatis meae
reputabo partes, quas omni obsequio & inserviendi promptitudi-
ne, quoad vixero, demerebor. P. P. die ante Epiphan. Do-

mini 1692.







Ter

M. JO

hist

obialis

historia

endas die VIII.

TI

oceres

HORUS Weiß/